QUID POSSINT IN SANITATEM

N° 324.

Quidquid liberum vulgò dicitur et liberale, necnon libertatis, quæcumque ea sit, decens et facilis usus;

HANC THESIM,

21 *decembris* 1815,

Secundùm undecimum undecimi anni die mensis ventosi decimâ nonâ latæ legis articulum Universitatisque decimi noni augusti 1814 præscriptum,

Coràm artis medicæ inclytissimâ Parisiensi Facultate, tueri conabitur

PETRUS-ALEXANDER JACQUET-LEMARE,

Primæ classis Chirurgus; ex Parisiensi artium Athenæo, aliisque doctis et litterariis Societatibus.

Paulùm sepultæ distat inertiæ
Celata virtus......
HORAT., od. 8, lib. 4.

PARISIIS,

EX TYPIS DIDOT JUNIORIS,

Typographi Facultatis medicæ parisinæ.

1815.

FACULTAS MEDICA PARISINA.

Professores.

D. LEROUX, Decanus
D. BOURDIER, *Examinator.*
D. BOYER.
D. CHAUSSIER.
D. CORVISART.
D. DEYEUX.
D. DUBOIS.
D. HALLÉ.
D. LALLEMENT.
D. LEROY.
D. PELLETAN.
D. PERCY.
D. PINEL.
D. RICHARD.
D. SUE.
D. THILLAYE.
D. DES GENETTES.
D. DUMÉRIL.
D. DEJUSSIEU, *Examinator.*
D. RICHERAND.
D. VAUQUELIN, *Examinator.*
D. DESORMEAUX, *Præses.*
D. DUPUYTREN, *Examinator.*
D. MOREAU, *Examinator.*

Decimo nono frimarii mensis die, anno 7, Scholæ medicæ Professores opiniones in dissertationibus exhibitis emissas auctoribus proprias habendas esse, et illas à se nec approbari nec improbari, statuerunt.

HENRICO PESTALOZZI,

Ebrodunensis Instituti Fundatori et Directori.

Veri monstrator toto celebratur in orbe,
Fama sed et factis atque labore minor;
Illum quippè ipsis oculis, illum auribus hausi.
Hic vir, hic est per quem læta juventa viget,
Viribus ingenii mentisque et corpore firmo,
Veri et naturæ carpere docta vias.

P. A. JACQUET-LEMARE.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/quidpossintinsan0010vari

QUID POSSINT IN SANITATEM

Quidquid liberum vulgo dicitur et liberale, necnon libertatis, quæcumque ea sit, decens et facilis usus.

Melius exemplis quàm definitione quid per vocabulum *liberum* significemus, et quàm latè illud accipiamus, elucebit. Passim adhibentur istæ verborum juncturæ : liber animus (1), liberum cor (2), liberum caput (3), libera lingua (4), liberum tempus (5), liberum cœlum (6), liberæ ædes (7).

Jam primùm nihil sine motu concipitur *liberum*; motus verò in voluntarium scinditur et in involuntarium. Undè quanquam non voluntarii sint aquæ, aëris, cordis, pectoris et similium, liberi tamen habentur motus, quandò facilè fiunt et sine admotis impedimentis.

Libertas mera est fictio mentis quæ ità qualitatem *liberi* abstrahit à subjecto cui hæret, ut de eâ tunc, quasi de verâ re habeatur sermo ; ideòque naturalis appellatur quæ naturam, moralis quæ mores, civilis quæ civem, politica quæ politiam liberam indicat. Undè quod liberum dicitur libertate aliquâ sive

(1) *Cic.* 4 Verr., libero esse animo.

(2) *Plaut.*, in Epid., facilè tu istuc corde libero fabulare jovi.

(3) *Varro*, in Eumenid., tragici prodeant cum capite libero.

(4) *Plaut.*, in Cist., magis liberâ uti linguâ collibitum est mihi.

(5) *Cic.*, de Finibus, libero tempore... cum nihil impedit.

(6) *Cic.* 1 Tusc., liberum cœlum, tanquam in suam domum venerit.

(7) *Plaut.*, in Milit., liberæ sunt ædes, liber sum autem ego, me uti volo liberè.

voluntariâ, qualis est animæ, sive involuntariâ, qualis est aquæ, illud præditum esse necessum est, et vicissim.

Liberale tandem illud omne est quod hominem liberum decet, proindèque semper aliquid boni, aliquid magni, aliquid præclari et egregii sonat. Legitimum illius blandæ et grandisonæ vocis (quæ hodiernis temporibus, quis credat? barbara tamen est nuncupata) callebant sensum, qui liberales artes servilibus et humilibus opposuêre, quæ nullo pacto intellectum pascunt et ampliant, nihil habent ingenui quod pectus impellat, mentem, animumque moveat. Noverunt et omnes qui exemplaria romana vel rarâ manu versavêre, illam ipsam hujus vocis esse vim apud autores qui, dùm illam pronuntiant, quodam quasi divino instinctu videntur incitati (1).

Quid plura? Cui pectus anhelat, quique litteris non caret, etiam gallicis, nobis consentit. Nonne et ipse princeps Gallorum et pater et rex, cui toties acclamatum :

Manibus date lilia plenis.

Faustum illud vocabulum suâ multiplici plurimâque commendavit auctoritate, dùm nobis liberalia (2) spopondit et dedit con-

---

(1) A. Ecastor! pulcher est liberalis. (*Terent.*, in Eunuch.)

B. Lepidâ ac liberali formâ est. (*Plaut.*, in Milit.)

C. Ingenium novi tuum liberale. (*Terent.*, in Adelp.)

D. Liberalis doctrina. (*Tacit.*, liv. 3.)

E. Liberalis eruditio et doctrina. (*Cic.*, de Finibus.)

F. Liberalis vox et actio. (*Gell.*, cap. 3, lib. 9.)

H. Liberale conjugium, id est, liberi cum liberâ. (*Terent.*, in Andriâ.)

I. Pessum iêre vitæ pretia, omnesque à maximo bono liberales dictæ artes in contrarium cecidêre, ac servitute solâ profici cœptum. (*Plin.*, lib. 14.)

J. Quin et addam istud *Hippocratis* (interprete *Bosquillon*) : « Procero cor-« pore juventutem degere, liberale nec indecorum. (Sect. 2, aph. 54.)

(2) Constitution libérale.

stituta, utpotè quæ sola, novo proclamante Alexandro, cum illustrato sæculo conveniant (1).

Artus, qui libero motu non fruitur, brevi macescit et contrahitur, vel, ut medicè loquar, atrophiâ deformatur et anchylosi. Ventriculus, nimiâ cibi potûsque parcitate piger fit, et impar largioribus escis coquendis. Alvus adstringitur, suo tempore non soluta. Pravè pudens, quòd de curru non sit usus descendendi facultate, moritur, qui solem rexit, *Tycho-Brahé*. Cæcus fit aut caligans cui diutiùs in tenebris intabuerint pupullæ. Surda aut dura fit auris, quæ nullos jamdudùm sonitus hausit. Pedes ire dedocet, curru vehi solitus. Titubat libertate captus, dùm exit è barathro. Sterilis est mediæ ætatis virgo. Infelix ille, cui *teneras arcent vincula palmas* (2), plantas, et fauces ipsas, infando quodam cruciatu, varus, aliâve parte deformis, nisi modò suffocetur, evadit.

Cui non risêre parentes,
Nec deus hunc mensâ, dea nec dignata cubili est (3).

Et, si terribilis noverca aut torvus pædagogus puero libertatem fregerit, animo et mente mutilum, meticulosum cernemus aut imbecillem et idiotam. Demùm, qui tempestivè, et appositè, prout eum natura sollicitat, et quà sinunt leges, manducandi, bibendi, eundi, amandi, cogitandi, loquendi, et quidquid nemini nocet, agendi libertate non utitur, vitam vegetem et languidam trahit aut morbidam.

Tanta illa rerum naturalium abstinentia, quâ inter cæteros eminuêre brachmani indi, Zoroastri discipuli, Mahometis pii secta-

---

(1) Il est sage de donner à la nation française des institutions fortes et libérales qui soient en rapport avec les lumières actuelles.

(2) Æneid., lib. 2.

(3) Bucol. 4.

tores et antiquæ Thebaïdos anachoretæ satis explicat cur tam sæpè nervis laboraverint (1).

Ex mente captorum utriusque sexûs qui in parisiensibus nosocomiis coacervantur recensione constat (2), numerum feminarum esse duplò majorem ; et nihil mirum ; quippè quòd, qui sunt hodierni Europæ mores, viri longè duplò latiore libertate fruantur quàm mulieres, quæ neque peregrinantur, neque militant, sed æternùm ferè sedent, cœlo aëreque libero parùm gaudent, et iniquam sæpiùs à viris patiuntur tyrannidem.

Si verò tot et tanta ex majore minoreve libertatis imminutione et detractione ingruant mala, si talia immineant abstinenti, sunt etiam suæ abutenti pœnæ, quæ pede cito claudove sequuntur.

Compertum est ex observatis illum sævum affectum de quo dictum :

Sed omni
Membrorum damno major dementia (3),

et qui societatibus excultis minatur excidium, indè natum, quòd de amissâ fortunâ, aut aliâ re, aliquâve personâ carissimâ altiùs et pervicaciùs æquo doleatur (4) ; sed intensus et diuturnus ille dolor de irreparabili, de irrevocabili, summus est libertatis abusus. Amicum amicamve *sopor perpetuus urget* (5).... Quòd si nullus desiderio sit pudor aut modus tam cari capitis (6)... non vanæ redeat sanguis imagini (7) durum ! Sed levius fit patientiâ quidquid corri-

---

(1) *Pinel*, Nosog. philos.

(2) *Ibid.*

(3) *Juv.*, sat. 10, lib. 4.

(4) Nosog. philos.

(5) *Horat.*, lib. 1, od. 20.

(6) *Ibid.*

(7) *Ibid.*

gere est nefas (1) quod mutare nescis, ut meliùs, quidquid erit, pati (2) !

Arctissima est, inquit *Pinel* (3) post Plutarchum, medicam artem inter et philosophiam moralem connexio, multaque in invicem influentia. Quanti ergò refert, si hypochondriæ, melancholiæ, amentiæ aliisque mentis affectibus, viam occludi velimus, cupiditates refrænare, in nosmetipsos imperium tenere, ne in vetitum, absurdum inviumque ruamus, et tam infesto libertatis abusu nobis ingens nevrosium cohors incumbat.

Quid nôrunt animalia de falsis gaudiis, de delusâ spe, de altâ mente reposto dolore, de amore desperato, de spretæ injuriâ formæ, et similibus quæ vitam adeò turbant et deprædantur?

Quî fit ergò (cum sint sua vitæ intellectuali venena et pericula) ut genus humanum, quanquàm ratione instructum, omnia animantium genera diuturnitate vitæ superemineat? Cur autem illud ævum, quod penès genus est, fugit individua? aut cur, ut ait *Hufeland* (4), ubi maxima diuturnitas speranda est, ibi quoque maxima mortalitas?

Præstò est responsum, scilicet: *latissima* data est homini *libertas;* quâ si utatur, hoc amat, hoc spernit (5), hoc facit, hoc differit et in præsens tempus omittit (6), et sic longè cæteris præstat animalibus, quæ ratione non illustrata, sed instinctû, ceu instigatione quâdam surdâ agere compelluntur, et arcto quasi Popilii circulo circumscripta, non de sæculo, non de anno, non de die, non de horâ curant, sed de horæ momento, idque solùm tunc appetunt quod prodesse, id fugiunt quod obesse sentiunt.

---

(1) *Horat.*, lib. 1, od. 20.

(2) *Ibid.*

(3) Nosog. philos.

(4) Die kunst das menschlishe leben zu verlængern, *id est*, ars vitam humanam producendi.

(5) *Horat.*, Ars poet.

(6) *Ibid.*

Sed si homo, naturæ suæ præstantiâ indignus, rationis lumen abnuat, libertate aut non utatur, aut abutatur, fit belluis inferior et deterior, doloribus et morbis patet, et, veluti flos succisus aratro, demittit caput, et ante diem perit.

Quot cernere est, qui, libertatem pervertentes, toti naturæ, et quidem inanimatæ vim afferre contendunt, in lapides et obvium quodlibet impedimentum invehuntur ! Non miror quòd infans qui visam in aquarum speculo lunam manu velit attingere, quia eam reverà dextræ proximam arbitratur, necdùm experiri potuit quid ipsi datum sit facere, aut recusatum. Sed non ideò magnus infans benè vocatus est impotentissimus ille rex, qui Hellespontum, quem contabulaverat, verberibus cædi jussit, irâ tumidus, quòd mare pontem dissolvisset. Neminem arrogantiâ stultitiâque novi parem quàm alterum illum, qui in *remotos toto orbe Britannos* furens, eos omni terrâ continenti denuntiavit interclusos, quasi sic incantâsset : omnia maria habeant *sine littore fluctus*.

Observatum est de longævis illos passim staturâ fuisse procerâ, cranio thoraceque capacibus, pede, ore, manuque largiusculis; quæ conditiones liberiorem variarum functionum usum annuntiant. Sic magna satis machina diutiùs et tutiùs suo defungitur munere, quàm parvula, cujus motus nec ita faciles, nec ita ab externis causis liberi.

Duplici donamur libertate, pro nostrâ duplici, animali et organicâ vitâ. Liberi omnes, qui è voluntate procedunt motus, animali debentur vitæ, cui soli, quasi divinitùs, illa facultas indita est, quæ propriè, aut potiùs per antonomasim *libertas* vocatur, unica illa idæarum affectuûmque liberalium parens.

Illud autem nobis maximum bonum largè dividit natura; nam, ut observavit *Bichat*, cerebrum cæteraque animalis vitæ organa sunt symetrica aut duplicia. Undè, ut ità dicam, vita altera est dextra, altera læva, re sic ordinatâ, ut, si una lædatur, altera persistat et vivat adhuc animal. Duplex autem illa animalis vita duplicem inducit libertatem. Sic non est omninò captus, qui

libero unius vitæ rami usu truncus, alterius, et quidem paris usum obtinet, aut cui, ut ait poeta :

Uno avulso, non deficit alter (1).

Heu ! qui tam aureas, tam liberales protulit observationes, qui tam liberaliter vitas et libertates multiplicatas monstravit, hunc Fata nobis tantùm ostendêre, sed spatio brevi explevit tempora multa. Nostræ arescant lacrymæ, vivit, quin imò vivit vitâ non adimendâ.

Nunc idæarum affectuûmque liberalium salubres effectus, sed carptim omninò delibemus.

Qui liberali modo cogitat et agit, jam ei ante omnia fixum immotumque sedet sic libertate utendum esse, ut neque sibi neque alii noceat, quocircà nec suî nec aliorum servus est aut tyrannus. Officia sua novit et jura, nec magis ab illis discedit quàm hæc negligit; nec metuit ut ignavus servus, aut ut suspiciosus tyrannus; nec mœret ut imbellis et rudis infans : sed ita liber, ita suî potens (2), ita suæ dignitatis et naturæ conscius, ut, vita sit ipsi simul et libertas quasi idem duntaxat et unum. Quid demùm discrepant ? Libertas enim nos facit agendo habiles, vitam agentes (3). Tolle nimirùm libertatem, vitæ sustulisti habilitatem.

Suî igitur aut alterius vitam ex parte vel ex toto peteret, qui sibi aut alteri portionem libertatis totamve libertatem adimeret. Nam qui servit, mutilus vivit, eique aptissimè quadrat istud trag. :

Adeòne mori miserum est !

Qui verò, remotis obicibus, offendiculis, facilè et concinnè

---

(1) Æneid., lib. 6.

(2) *Dùm liber, dum meî potens sum*, ait *Livius*, lib. 26 ; quasi *liber* et *potens*, *libertas* et *potentia* idem *significent*.

(3) Lebenskrast ist also nur fæhikeit, leben selbst handlund. — Hufeland, *de Longævitate, sub titulo, die kunst das menschliche leben zu Verlængern.*

secundùm naturales leges, aut *pactitias*, actus vitæ multiplicat, pretia vitæ sentit, perenni perfunditur gaudio, festivâque hilaritate, et vivificam istam facultatem novis instrumentis, novâ materiâ, novis usibus ditare enititur ; tantaque est ejus felicitas, ut ei sit opus eam expandere, dividere, aliisque sic esse utilitati. Undè duplex ei vitæ balsamum, et dùm utitur, et dùm monstrat utendi viam : qui bifarius affectus liberalissimus est et sanitati faventis simus.

Longævorum etenim percurramus tabulas, imprimis eos reperiemus inscriptos, qui fuêre libertatis amantes, et liberale quodque sunt prosecuti; peregrinatores philosophos qui uberiore libertate, liberiore jove et spiritu usi, mores multorum hominum viderunt et urbes ; (1) milites, qui tristes sole domos non habitant (2), sed plerùmque sub dio liberam, sine invidiâ, sine dolo, vitam agunt, et præsertim sine metu :

> Quid enim ? concurritur. Horæ
> Momento cita mors venit, aut victoria læta (3) ;

Eremitas aliosque contemplativos viros, qui *procul negotiis*,

---

(1) Gorgiam putà, Protagoram, Pythagoram, Democritum Abderitem, quos appellat *Baco* civitatum circumcursatores, complurium regionum et naturæ perambulatores. Sic celeber ille gentium domitor Aurengzeb, centenarius evasit, qui quamquam rex, nomadis potiùs quàm regis ad instar vixit. Sic et non prorsùs absimili causâ, longo satis et liberali ævo fuêre Fredericus II et Ludovicus XIV, nisi fortè id juverit quod novus hic Augustus, liberalissimus liberalium artium patronus fuerit, aut unus è Borboniis qui, ut notavit *Borussius Hufeland*, à communi regum conditione videntur excepti, quorum ætas passìm brevissima.

> Aŭ generum Cereris sine cæde et vulnere pauci
> Descendunt reges et siccâ morte tyranni.
> Juv., sat. 10.

(2) Grandioris ævi nulla alia hominum quàm militum classis præbet exempla, testibus Essingham 144, Draakemberg 146, Parre 153 et Jenkins 169 annos adeptis.

(3) *Horat.*, sat. 1.

soluti omni fœnere, libero cœlo, libero corpore, liberâ mente fruiti, cœlestia præcepêre gaudia; (1) pictores atque poëtas, quibus

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas (2).

qui felicissimâ vivendi arte in illo ipso orbe vivunt quem ipsi finxerunt; et veritatis investigatores et monstratores, sive ea sit physica, aut metaphysica, astronomica, medica, aut alia quæcumque (3). Sic enim non solùm itur ad astra, sed ad felicitatem, libertatis amplioris viâ, cui nova creantur auxilia. Quippè priùs est nosse quàm uti. Dùm in errore versamur, vana prensamus, nec vim tela ferunt (4), *umbrarum hîc est locus* (5), quem contrà veritatis regnum; verùm cogito quod res est (6), et addo : verùm

Pauper enim non est cui rerum suppetit usus (7).

Porrò quos annosos aut annorum multorum capaces ostendimus, qui uno jam, dùm vita manebat, usi sunt Elysio, hos ipsos in altero, ceu in beatis sedibus monstrat Virgilius : hìc sunt, ait,

Magnamini heroes, nati melioribus annis,
Quique pii vates et Phœbo digna locuti,
Inventas aut qui vitam excoluêre per artes,
Quique suî memores alios fecêre merendo (8).

Neque observatores præteriit nullum ferè cœlibem longissimè,

---

(1) Quales fuêre S. Antonius, cœnobitarum primus institutor, qui 105, Paulus Eremita, qui 113 vixit annos.

(2) *Horat.*, Art poet.

(3) Inter quos emicant *Anacreon*, *Sophocles*, *Pindarus*, *Corneille*, *Wieland*, qui veras animi vias invenêre; *Kepler*, *Baco* et ejus antecessor *Democritus*, *Newto*, *Euler*, *Hippocrates*, *Sabatier*, *Barthez*, etc., etc.

(4) Æneid., lib. 6.

(5) *Ibid.*

(6) *Terent.*, in Adelph.

(7) *Horat.*, epist. 12, lib. 1.

(8) *Æneid.*, lib. 6.

id est, ultra centum annos produxisse vitam ; sed omnes qui longævi admodùm devenêre , matrimonio fuisse junctos. Ii nimirùm libertatem et felicitatem cum vitâ communicant , eoque naturæ munificentissimo procreandi dono ordinatiùs utuntur quàm cœlibes , et cum minore virium deprædatione , totumque ævum amando et benefaciendo transigunt.

Ex contrariis vita brevis.

Quid igitur memorem otium videlicet et desidiam , quâ torpent et quasi tabe pereduntur facultates , tristitiam prementem , serviles metus , curas edaces ? Quid nimiam Venerem , immodicum cibum et potum , quæ organa distrahunt, deterunt et enervant? Quid vesanum illum imperitandi furorem, qui in habitum versus, nova fit natura , legitimorum libertatis et ingenuæ naturæ motuûm adversatrix assidua? Quid demùm simulandi referam et dissimulandi consuetudinem ? Hæc et similia quæ vitam contrahunt , libertate priùs læsâ aut eviratâ , ad ea omnia pertinent quæ indecora et illiberalia dici possunt.

Scimus , ait *Hufeland* , quàm longævitati nociva infestaque sit ars quæ hominem quotidiè aliquot horis alium mentiri cogit , qualis est ars comœdi. Quî tùm benè illis esse potest, qui se continuò reprimentes , continuò in isto magno orbis theatro has aut illas partes agunt , in quibus nunquàm veri sunt , sed in perpetuâ simulationis violentiâ indesinentique mendacio vivunt : quæ hominum species miserrima inter elimatissimos et excultissimos invenitur. Nullum est , me judice , illiberalius bonæque naturæ repugnantius vitæ genus.

Jam durum satis est , cùm quis veste alienâ induitur , quæ illum undequâque premit , et ipsius quemque motum impedit. Quid autem illud est præ alieni caracteris indumento , sub quo debeat sine intermissione oris , oculorum , totiusque vultûs actionem , incessum , vocem componere , animi pectorisque motus , omnesque

naturæ adultos et prævalidos affectus opprimere, nervum quemque, et quamque fibrillam distendere, quò se tutiùs et pleniùs abneget, abjiciat, abjuret? Qui status minimè diversus est à perdurante spasmo, ut exitu comprobatur.

Perpetua enim animi mentisque perturbatio, anxietas, inordinatæ respirationis, digestionis, sanguinisque circulationis officiorum vices, æternæ tam in physicis quàm in moralibus pugnæ, sunt certi fidique illius pestis comites. Eò demùm miseriæ deveniunt illi pulchræ libertatis desertores, ut, novâ indutâ naturâ, seipsos amittant, quærant nec jam invenire possint, et ingruentibus febre hecticâ aliisve nervorum laboribus, illis prætentent omnia mortem, eosque inhiet tumulus, ibi larvam cum vitâ unicè deposituros.

HIPPOCRATIS APHORISMI.

I.

Vita brevis, ars longa, occasio præceps, experientia fallax, judicium difficile. Oportet autem non modo seipsum exhibere ea, quæ decent, facientem; sed et ægrum, et præsentes, et externa. *Sect.* 1, *aph.* 1.

II.

In exacerbationibus cibum subtrahere oportet : exhibere enim noxium. Et cum morbi per periodos exacerbantur, in ipsis accessibus cibum subtrahito. *Ibid.*, *aph.* 11.

III.

Senes facillimè jejunium ferunt : secundùm eos ætate consistentes : minimùm adolescentes : omnium verò minime pueri; atque inter ipsos qui alacriores sunt. *Ibid.*, *aph.* 13.

IV.

Mente constare, et benè habere ad ea quæ offeruntur, quovis in morbo, bonum; contrà verò, malum. *Sect.* 2, *aph.* 33.

V.

Ut plurimùm quidem senes juvenibus ægrotant minùs : at qui ipsis morbi diuturni contingunt, eos ad mortem comitari solent. *Ibid.*, *aph.* 39.